

# **Visual Library Portal**


**Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts**


**De J. Exvperantio**

**Moller, Daniel Wilhelm**

**Norimbergae, 1726**

**urn:nbn:de:s2w-2922**





DANIELIS GVIL. MOLLERI  
 COM. PALAT. CAES. HISTOR. ET METAPH. PROF. PVBL.  
 ALTDORF. ET VNIVERS. BIBLIOTHECARIII  
 QVONDAM CELEBERRIMI

DISSERTATIONES ACADEMICAE

DE

VITIS

QVINQVAGINTA

HISTORICORVM

DISSERTATIO XXXII

DE

J. EXVPERANTIO

CVRA

FRIDERICI ROTH-SCHOLTZII  
 HERRENSTADIO, SILESII



NORIMBERGAE ET ALTDORFII

APVD HAEREDES JOH. DAN. TAVBERI, A. M. DCC. XXVI.



## §. I.

**J**ULIVS EXUPERANTIUS, Historicus Latinus, neque *Parentes* quos habuerit, neque *Locum* quo genitus fuerit, verè potest affirmari; tantum abest, ut *natiuitatis* illius *dies* queat determinari, ut potius caliginosis idem tenebris pariter sit involutus. Nimirum M. HANKII *de Rom. Rer. Script. part. 2. cap. 8.* æquissimo suffragio: IULIVS EXUPERANTIUS, *nec quis fueris, nec quando vixerit, cognitum habemus.*

II. *Patriam* tamen ejus *Galliam* statui posse autumarem, si non alius is sit ab eo, cujus apud Cl. RUTIL. *Itinerar. lib. 1. vers. 213.* mentio injecta est. Certè CASP. BARTH. *in Claud. p. 847.* Exuperantius is, ait, epitomator, ut voluit, Salustii, potest, ut is sit, qui à Rutilio pater Palladii laudatur libro priore *Itinerarii vers. 213.* cùm ea ætate illud decurtandorum Auctorum priscorum studium jam increbuisse.

III. Hanc juxta opinionem, *Filium* quoque Historicus noster habuerit, *Palladii* nomine conspicuum, testibus apud *Rutilium loc. cit.* extantibus decem versibus seqq.

Tum discessurus studiis, urbique remitto  
 Palladium, generis spemque decusque mei.  
 Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis  
 Missus Romani discere jura fori:  
 Ille meæ secum dulcissima vincula curæ  
 Filius affectu, stirpe propinquus habet.  
 Cujus Aremoricæ pater Exuperantius oras  
 Nunc postliminium pacis amare docet.  
 Leges restituit, libertatemque reducit,  
 Et seruos famulis non finit esse suis;

IV. Qui-

IV. Quibus admissis, tempus itidem *Nativitatis* seculum *quartum* post C. N. figere licebit: quippe quo non tantum Symmachum Rutilii coætaneum vixisse constat, sed eundem dicti quoque Palladii mentionem fecisse *lib. 1. epist. 15. & 94. lib. 3. epist. 50.* pluribus eruditibus jam dudum arridere cœpit. Sed an sine controversiâ, dubium vel inde suboritur, quod illo etiam seculo alii Palladii floruerint, & præcipuis dignitatibus insigniti fuerint, ostendentibus hoc ipsum utriusque Codicis constitutionum inscriptionibus.

V. Quam ob causam *Julii* nomen Historico nostro inditum sit, non facile dixerim, haud parum tamen eos opinione falli, qui eum *Julia* Romanorum Genti adscribere satagunt, notius esse credo, quam ut prolixè demonstretur. Sanè uti in nullo historiarum monumento vel minimam hujus rei conjecturam invenire licet, ita diligentissimi etiam familiarum *Julia* gentis Scriptores GLANDORPIVS, SCHOTTVS, DEMPSTERVS, PIGHIVS & PANVINIVS, nullâ prorsus in iis memoriâ Julium nostrum sunt profecuti. Ceterum JVLVS (unde JVLIVS) planè græcum: nam Ἰελαῖος HOMERO est *lanugo efflorescens è genis puberum.* Ab *Ascanio* igitur *Aeneæ* filio, qui primus JVLII cognomen tulit, quod emergente prima barbæ lanugine, quam vocant, pulcherrimam de Mezentio victoriam retulisset, & à JVLIO filio ejus deductum esse τὸ Ἰελαῖον Φύλον, præterquam quod historiæ conditores plerique omnes uno ore confirmant, etiam Latini nominis poëtarum princeps VIRGILIVS haud uno in loco attestatur.

VI. Cognomen EXUPERANTIVS verbo EXUPERARE ab *ex* & *supero* descendenti originem suam debere, non facile quempiam inficias iturum credo; an verò comparativi locum hîc obtineat, aliis dijudicandum relinquitur: *Superlativi* unâ alterave vice mentio injecta est apud APVLEJVM, speciatim *lib. de Mundo* verbis hisce: *Summus atque exuperantissimus divûm.* Ratio assumti hujus cognominis, nullibi, quantum scio, expressa est, si tamen *ab exuperantia virtutis* eadem arcessatur, nescio an à veritatis via multum quis aberraverit. Certè C. BARTHIO *animadvers. in RUTIL. l. 1. vers. 214.* iudice; Pax

post crudeles Barbarorum populos, assertore aut præside Exuperantio, gravior erat afflictissimis Galliorum populis.

VII. An vox EXUPERANTII solâ *lit. x.* vel junctis *x. & s.* debeat exarari, ab orthographiæ investigatoribus memini esse quæsitum. Vtriusque exempla scriptionis licet suppetere haud ignorem, solâ tamen *lit. x.* eandem scribendam esse, *tum ratio, tum* autoritas videntur suadere; *illa* quidem, quod *x.* duplicem communiter literam repræsentat, nempe CS. unde fit, ut quæ forte in compositione, denuò litera S. accedit, à priore in *lit. x.* delitescente absorbeat; *ista*, quod in castigatissimis hujus Autoris editionibus vox *Exuperantii* solâ *lit. x.* expressa invenitur. Interea illustrari hæc ipsa aliquadantenus posse reor ab iis, quæ JOH. CARAM. in *Appar. Phil. fol. 97. col. 1.* hac verborum protulit serie: X. est duplex litera; ac à paucis cognita, nam in diversis locis, si etymo stemus, debet diversis literis æquipollere. A *lugeo* habemus *luxi*, h. e. *lugsi*: à *luceo* verò *luxi*, quasi *lucsi*. Ergo aliquando ex CS. & etiam aliquando GS. à verbo *coquo* habemus *soxi*, quasi *coqsi*. Et à *flecto*, *necto*, *pecto*, *plecto*, deducimus *flexi*, *nexi* (aliàs *nexui*) *pexi* (vel *pexui*) *plexi*, quasi *flectsi*, *nectsi*, *pectsi*, *plectsi*.

VIII. *Exuperantii*, Episcopi Dertonensis, mentio injecta est, in *Synodo Aquilejensi*: Extat longa ejus narratio in libro Conciliorum, quæ indicat, celebratam eam fuisse sub Imperatoribus, Valentiniano, Gratiano & Theodosio; Consulibus Siagrio & Evcherio, quod est A. C. 383. *Iste EXUPERANTIUS* an idem ille sit cum Rutiliano illo, adeoque etiam cum Historico nostro, deficiente, præter solam nominis afinitatem, testimonio quovis alio, dicere nequeo.

IX. Præter istum Exuperantium, duo adhuc alii celebrantur Exuperantii in Hist. Eccles. nempe (1) EXUPERANTIUS *Presbyter*, de quo in *Synodo Taurinatenfi*, sub Siricio & tempore Ambrosii, ad postulationem Sacerdotum provinciarum Galliæ secul. 4. celebrata, inter alia constitutum est: Ut in arbitrio sit Trigerii Episcopi, Exuperantium presbyterum injuriosum & contumeliosum in Episcopum suum, ad communionem Dominicam, quâ ab Episcopo privatus erat, admittere.

mittere. (2) EXUPERANTIVS *diaconus*, de quo VINCENT. BELLVAC. *in Specul. lib. 12. cap. 55. & 56.* Sabinus Episcopus civitatis Asiæ, vir eloquentissimus, martyr cum diaconis duobus, Exuperantio & Marcello.

X. Quodnam *vite genus* Historicus noster coluerit, dictu eò difficilius est, quò major horum temporum in custodiendis ejusmodi circumstantiis vel supinitas vel injuria deprehenditur. Si tamen vel Rutilianum vel Dertonensem cum nostro eundem fecerimus, næ in sententia non solum ejus, sed etiam in nutu maxima resedissee autoritas, officiique splendidissima eum illustrasse debuit dignitas.

XI. *Historicâ potissimum cognitione* Exuperantium nostrum fuisse imbutum, ex illo, quod adhuc hodie superest, opusculo, satis liquet: in quo quidem *de Marii, Lepidi ac Sertorii bellis civilibus* summatim actum est, initio factò à Metelli contra Jugurtham, Numidarum Regem expeditione, cui Marius interfuit, i. e. ab A. V. C. 644. A. C. N. 107. & sine imposto, in victoris Cn. Pompeji, post interfectum Sertorium, & confectum per Hispanias bellum, ad Urbem reditu, h. e. A. V. C. 682. A. C. N. 69.

XII. Opusculum hocce in bibliotheca PETRI PITHAEI, Tricassio, Campani, Jcti & Philologi clarissimi, seculo priore labente, repertum, in Gallia primùm & postea Belgio ab interitu vindicatum est. Vti autem illud in vetere quodam Salustii codice, bello Catilinario & Jugurthino in fine fuit additum, ita Historiarum Salustii breviarium quoddam esse pluribus visum est eruditis. Quam in rem etiam CASP. BARTHIVS *in Claudian. p. 847.* Exuperantius is, ait, epitomator, ut volunt, Salustii, vid. *supr. §. 2.* Sed an ex sola hac vel illo libro factâ pagellarum aliquot additione, de compendiarie præcedentium comprehensione judicium fieri queat, ambigo; profectò Historiarum Salustianarum amplitudinem, in tam breves, quæ hodiè supersunt, lineas abivisse, haud faciliè crediderim.

XIII. Præter Opusculum istud alios quoque libros ab Exuperantii industriâ profectos in Republicâ haberi literariâ haud quispiam credo asseruerit, quando enim fragmenta quædam *Exuper. Rhetor.* citata inveniuntur, non tam *Exuperantii*, quàm *Exuperii* eadem esse dicendum erit,

quippe quod *Exuperius* Rhetor fuit excellens, AVSONIO *Epigr.* 17. celebratus, h. m. *Exuperi memorante mihi facunde sine arte &c.* conf. *Scalig. not. ad Auson. l. 1. c. 12.* Taceo *Exuperium* Episcop. Tholosan. cujus frequenter meminit *Hieronymus*, ceu familiarissimi sui, eumque sanctum & probatæ ætatis ac fidei virum vocavit *in epist. ad Furiam*, itidem *Exuperantio* historico haudquaquam confundendum.

XIV. *Editiones* Opusculi *Exuperantiani* varias quidem esse scio, sed an unquam id seorsim excusum sit, me latet: Prodiit autem (1) *Frankfurti ad Man.* A. 1588. in fol. Tomo I. *Historiæ Rom. Scriptor.* cum *FRI- DERICISYLBVRGII* diversis locorum scripturis. (2) *Hannovia* A. 1610. Tom. II. *Histor. August.* Scriptor. à Jan. Grutero edit. in fol. (3) *Amsterdam.* A. 1615. in 16. *Histor. Rom. Epitom.* in fin. (4) *ibid.* A. 1625. in 24. *Histor. Rom. Epit.* in fin. Plures hac vice editiones commemorare nequeo.

XV. *Versiones* ejusdem in alias linguas esse factas, tantò magis ambigo, quanto certior sum aliorum Autorum idem bellorum civilium argumentum prolixius tractantium libros in alium sermonem fuisse transfusos. Vti autem semel benè actum rarò bis agitur, ita versione semel rectè pleneque adornatà rarò eadem, in compendiariâ præcipuè viâ, repetitur.

XVI. *Judicia* de Autore nostro non alia mihi hæctenus visa sunt, quàm quæ intra *Epitomatoris Salustiani* cancellos subsistebant, si autem de dicendi quoque genere aliquid statuendum foret, à *Salustiano* illud non multum adeò abesse autumarem, utpote intra brevitatis limites & suaviter decurrentium verborum periodos consistens.

XVII. Ad quot annos vitam suam produxerit *Exuperantiùs*, vel quo factorum ordine, morborum genere, temporumque articulo, extremum effuderit spiritum, nec conjecturâ est effabile, nec dictu explicabile. Hoc tamen est certissimum, *Exuperantium* occidisse: Corporis quippe & fortunæ bonorum, agente *Salust.* in *bell. jugurth. c. 2.* uti initium, sic finis est; omniaque orta occidunt, & aucta senescunt. *Quis enim, secundum*

*Minuc. Octav. sapientum dubitat, quis ignorat, omnia qua orta sunt occidere, qua facta sunt, interire.*

## DE JULIO EXUPERANTIO.

Vide JO. ALBERTI FABRICII, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Bibliotheca Latina 8. Hamburgi 1721. Vol. I. Lib. IV. cap. 40. pag. 741. 742. *Historia Augusta Scriptores Latini minores* à Jano Grutero collecti, MSS. Palatinorum ope emendati & notis illustrati Hanov. 1611. fol. hi sunt: *Florus, Vellejus, Svetonius, Spartianus* cum reliquis quinque. Et tomo posteriore *Ammianus Marcellinus, JULIUS EXUPERANTIUS, Aurelius Victor, Pauli Diaconi & Landulphi Sagacis* *Historiæ Miscellæ* libri XXIV. *Fornandes* de Regnorum temporumque successione & de rebus Geticis, *Pauli Warnefridi* libri sex de rebus gestis Longobardorum, & *Sexti Rufi* brevium. Sæpius etiam junctim excusi scriptores nonnulli minores Romanæ Historiæ ut A. 1607. è Raphelengii officina *Florus, Aurelius Victor, Festi Rufi* brevium, *Messala Corvini libellus, Chronicon Cassiodori & Eutropius*. Similiter Lugd. Bat. 1648. 12. Volumen quod Historiæ Romanæ Epitome inscribitur, è museo Nic. Blancardi, complectitur *Florum, Vellejum, Aurel. Victorem, Rufum Festum, Messalam, Eutropium cum Paulo Diacono, Chronico Cassiodori, Fornande de regnorum successione & JULII EXUPERANTII libello de Marii Lepidi ac Sertorii bellis civilibus.* item l. c. Vol. III. pag. 553. & seqq. JULII EXUPERANTII libellus repertus fuit ad calcem Sallustii de bello Catilinar. & Jugurthino in MSto Petri Pithœi, unde ex Sallustii historiarum libris brevium quoddam esse creditur, & à Josepho Wasse subjunctus est Sallustio in nova editione Cantabrig. 4.

Vide BURCARDI GOTTHELFI STRUVII Bibliotheca Historica 8. Jenæ 1705. pag. 45. FRIDERICUS SYLBURGIUS simili ratione *Historia Romana Scriptores* collegit *Frankfurti* 1588. f. tribus Tomis. Horum duo peiores scripta Veterum latina in priori corpore etiam comprehensa continent, & præter illud libellum incerti auctoris de XIV. regionibus urbis Roma, JULII EXUPERANTII librum de bello Jugurthino, *Marii* & *Lepidi & Sertorii bellis civilibus*. Tertius vero Tomus Sylburgii comprehendit *Fastos graecos & latinos, EUTROPII brevium cum metaphrasi PAEANII XIPHILINI epitomen Dionis, HERODIANUM, ZOSIMUM, JULIANI Caesares, Olympiodori eclogas, Excerpta ex Suida de Caesaribus, Imperatorum seriem, Chronologiam.*

QUINTUS CURTIUS RUFUS de Rebus Alexandri Magni recte tandem captui Juventutis accommodatus. oder deutliche und nach dem Begriff der Jugend endlich recht eingerichtete Erklärung des QUINTI CURTII worinnen 1.) die Antiquitäten zulänglich erläutert. 2.) Die härtesten Constructiones leichter gemacht. 3.) Die schweren Stellen durch Deutsche Paraphrasen und Anmerkungen erklärt. 4.) Die Idiotismi Latini gezeigt/ und sowol in reine Deutsche Redens-Arten/ als in den jetzigen Modo-Stylum übersetzt werden / nebst Deutschen Summa-

Summarien/ Teutschen Supplementis, wie auch einer ganz neuen accuraten Land-  
 Charce, und darzu gehörigen Registern / **Andere Auflage** / welche durchge-  
 hends mit grossem Fleiß übersehen/ von Fehlern gesäubert/ verbessert/ und mit ei-  
 nem dreysachen weitläufftigern Register versehen worden / durch EMANUEL  
 SINCERUM. Mit Röm. Kayserl. Majest. Königl. Poln. Maj. und Churfürstl.  
 Sächs. allergnädigsten Privilegiis, 8. Augspurg verlegt Paul Kühbe/ 1720.  
 3. Alphab. und  $\frac{1}{2}$ . Bogen Kupffer.

QUINTI CURTII RUFII Historia Alexandri Magni 12. Lugduni 1662.

- - - - - 12. Amstelodami 1660.

- - - - - 24. Amstelodami 1663.

- - - - - Cum Notis Variorum 8. Lugd. Batav. 1658.

- - - - - Cum Notis Variorum 8. Francofurti 1668.

- - - - - Cum Notis Popmae 16. Lugd. Batav. 1622.

- - - - - In usum Delphini 8.

- - - - - Cum Notis MICH. le TELLIER 8. Paris 1678.

- - - - - Cum Notis Pitisci 8. Hag. Com.

- - - - - 24. Rotterdam.

J. N. P. TERENTII Comœdias Sex, Novus Commentarius, ex publicis Prælectioni-  
 bus Doctissimorum Virorum, qui olim in Celeberrima Academia Wittebergensi  
 floruerunt, in usum Scholasticæ Juventutis magno studio & labore collectus, et  
 nunc Primum æditus A. M. STEPHANO RICCIO. *Tomus Primus* Continet argumen-  
 ta, Grammaticas annotationes, & scholia textus in Andriam & Eunuchum. Cum  
 Gratia & Privilegio Illustriss. Electoris Saxoniz ad Decenium, 8. Mühlhufii *Excu-  
 debat Georgius Hantzsch, Anno 1568.*

J. N. P. TERENTII Comœdias Sex, Novus Commentarius, ex Publicis Prælectioni-  
 bus Doctissimorum Virorum, qui olim in celeberrima Academia Wittebergensi flo-  
 ruerunt, in usum scholasticæ Juventutis magno studio & labore collectus, & nunc  
 Primus editus, A. M. STEPHANO RICCIO. *Tomus Secundus.* Continet Argumenta,  
 Grammaticas Annotationes & Scholia textus in Heautontimorumenon & Adel-  
 phos. Cum Gratia & Privilegio Illustrissimi Electoris Saxoniz ad Decenium, 8.  
*Mühlhufii Düringorum excudebat Georgius Hantzsch impensis Jacobi Apelii Bibliopola  
 Lipsensis, 1569.*

J. N. P. TERENTII Comœdias Sex, Novus Commentarius ex Publicis Prælectionibus  
 Doctissimorum virorum, qui olim in celeberrima Academia Wittebergensi florue-  
 runt in usum Scholasticæ Juventutis magno studio & labore collectus, & nunc Pri-  
 mum editus. A. M. STEPHANO RICCIO. *Tomus Tertius.* Continet Argumenta,  
 Grammaticas Annotationes & Scholia textus in Hecyram & Phormionem. Cum  
 Gratia & Privilegio, 8. Görlicii *Ambrosius Fridericus excudebat expensis Jacobi  
 Apelii Bibliopolæ Lipsens. 1570.*

F I N I S.

